

745

P A T R I S T I C I

746

CCCXLVI.

R. 935 Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. 150. f. per duas columnas luculente et eleganter exaratus, rubro distinctus, et olim Collegii S. J. *Viennae* complectitur S. *Aur. Augustini Libros XV. de Trinitate*. Praescriptum: *In nomine sanctę et indiuiduę trinitatis. Incipit Liber Augustini de Sancta Trinitate*. Initium facit *Locus e L. II. Retract. c. 15. Libros de Trinitate, quae Deus est* &c. Hunc excipit *Epistola ad Aurelium Ep. Carthag. De Trinitate quę Deus summus* &c. Sequitur *Summarium Libb.* quod in edit. *Maur. Opp. omn. T. VIII. col. 749.* non habetur, quod tamen in L. XIII. abruptum est, cumque *fol.* sequens incipiat: *in humilitate. Expliciunt Capitula, suspicor folium integrum, quod etiam Capitum omnium Librorum Elenchum continebat, excidisse. Post haec: Incipit Liber primus. Lecturus hec quę de Trinitate differimus. prius oportet* &c. Opus integrum est, et in marginibus manu Sec. XIV. enotatum. Lectio cum Editis probe consonat. In *Loco Retractat.* legimus *in creatore amare speciem corporalem pro in laudem creatoris. In Epistola: essent profecto easdem sententias habentes multo enodatioris omisso etsi et tamen. L. I. c. 1. n. 1. concludunt sibi et intelligentiae vias pro intercludunt. N. 2. spirare enigma pro spissaret aenigmata. Item vera immortalitas incommutabilis pro incommutabilitas*

&c. Ita et per decursum plura non improbanda se offerent.

CCCXLVII.

Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 116. 4. pereleganter scriptus et minio distinctus a *Luitboldo Coenobita Lunaelacensi*, ut quidem *Scheda* eidem inserta adserit, saepius mihi jam memorato ita inscribitur: *Incipit Liber primus Sancti Augustini de baptismo paruulorum ad marcellinum Tribunalum Et Notarium*. Ita nempe: *Quamuis in mediis et magnis curarum estibus* &c. ut edit. *Maur. T. X. col. 1.* Sequuntur et reliqui II. *Libri integri*, quorum tamen Textus ad Editorum perfectionem non adfurgit.

II. *fol. 99. Incipit Liber de unico baptismo fideliter*. Scilicet ejusdem Patris *contra Petilianum*. Initium est: *Respondere aduersa sententibus et a regula veritatis errantibus Constantine frater* &c. ut edit. *cit. T. IX. col. 527.* Exciderunt vero extrema ab iis verbis *c. XVII. Marimum ab aquis tibiltanis, Silvanum* — — —. Lectio nihil superiore perfectior.

CCCXLVIII.

Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 132. 4. eleganter exaratus et rubricis distinctus sequentia D. *Augustini* complectitur Opuscula: I. *Incipit Prologus sancti augustini in libros de nuptiis et concupiscentia*. Ita: *Scripti duos libros ad illustrem Virum Comitem*